



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 131. Scotiæ negotia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

§. CXXXI.

*Scotiæ negotia.*Secul. XVI.
A. C. 1525.

Quarto tractatu conventum, Regem Scotiæ inter Franciæ Fœderatos haud numerandum, nisi Scoti a vigesima quarta Decembris die adversus Angliæ Regem nil hostile molirentur. Quintum denique pactum præscribebat, ne Galliarum Rex ullo pacto permittat, ut Albanæ Dux in Scotiam revertetur, donec Jacobus V. pupillarem ætatem egressus esset. Postremo Regni Administratrix dato Chirographo sese obstrinxit, numeraturam se Cardinali Volsejo residuam pensionis suæ summam, quæ a quatuor omnino annis nunquam soluta ad triginta ferme aureorum millia ascendebat.

§. CXXXII.

Tractatus Moorefis utrinque firmatus.

Cunctos horum pactorum articulos Regni Gallici Administratrix ratos habuit, jurataque fide firmavit, nec minus eos itidem Parisiensis, Tolosanus, & Burdegalensis Senatus acceptarunt. Proceres quoque, necnon Magistratus urbium, quæ cautionem præstabant, promissi syngraphas tradiderunt. Denique ipse etiam Franciscus Galliarum Rex,